



**Ecclesiasticae Historiae, Et Dicta, Inprimis Memorabilia,
Christi, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum,
& hostium veteris Ecclesie: singulari iudicio, & pio studio,
ex Eusebio Cæsariensi ...**

Eusebius <Caesariensis>

Haer. Chr. Egen., 1571

VD16 E 4284

1. Hostes & arma Christianorum. Ephe. 6. capite.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69335](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69335)

EPIGRAMMATA.

I. Hostes & arma Christianorum.
Ephe. 6. capite.

Hostes Christicole qui sint, quæ militis arma,
 Quis dux, vincendi quæ ratio atq; modus.
 Quisq; sit armorum, quis sit muniminis vsus,
 Hæc breuiter Pauli pagina sacra docet.
 Est hostis Sathanas, nigri sunt agmina Ditis,
 Sunt mundi domini, sunt Erebiq; duces.
 Qui veluti muscæ volitant nos vndiq; circum,
 Quæ cælum, tellus, quæ mare cunq; patet.
 Induit antiqui cataphracti ab imagine nota
 Inclyta qui Christo militat arma viro.
 Concaua contexit caput egis, militis olim
 Munibat thorax pectoris inde sinum.
 Baltheus hinc lumbos constrixit firmus vtrosq;
 Strictis post ocreis tibia tuta fuit.
 Est aptum pedibus munimen calceus imis,
 Quo tecti faciles ingrederentur iter.
 Armabat dextram gladius, scutumq; sinistram,
 Armatus quondam sic cataphractus erat.
 Militis ad formam iubet hanc quoq; Apostolus esse
 Munitum Christo qui meret ære virum.
 Sit galea eternam præseruans certa salutem,
 Iustitiæ thorax pectora sancta tegat.

Baltheus

*Baltheus vt munit lumbos, sic dogmata vera
 In Christo possunt constabilire fidem.
 Et fidei scutum, poterunt quo ardentia ditis
 Extingui subito spicula saua mali.
 Sint q₃ pedes tecti, lata quo nuncia pacis
 Orbis per vasti climata ferre queas.
 Christicolis belli dux est, quo demonia vincunt,
 Christus, in hoc superat quae mala cuncta premunt.
 Est modus, est ratio vincendi, his vtiis armis,
 Fundere & ad dominum vota preces q₃ Deum.
 Et studio vigili peccata cauere, maligno
 Ne demus contra nos malè agendo locum.*

2. PRECATIO CONTRA
 Diabolum, ad Christum,

*Tu bone nos contra sauum defendito Christe,
 Hostem, qui miseros ceu leo toruus adit,
 Quem voret abreptū, quæuens quem trudat ad Or-
 Hunc cōtra imbellis te sine turba sumus. (cum,*

3. IN DICTVM D. PAVLI,
 I. Timoth. I.

Certus sermo & dignus, quem modis o-
 mnibus amplectamur, quod Christus
 Iesus venit in hunc mundum, vt pecca-
 tores saluos faceret, quorum primus sum
 ego. Verum ideo misericordiam adeptus
 sum,